

videmus; solum re eo deducta ut matrem obtruncare debeat, rursus diserte indicatum eum ad matris caedem nisi Deorum jussu propelli non potuisse. Clytaemnestram scilicet quum non fugiat, quantum ad misericordiam movendam in matris et filii nominibus momentum:

*Ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἶδεσαι, τέκνον,
Μαστόν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἄμα
Οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.*

Matrem igitur ille quum audiat exserta mamma, cujus lacte quondam recens natum nutritivisset, filii misericordiam supplice voce et gestu implorantem, cunctatur consilii dubius matris graviter motus et voce et adspectu. Tum Pyladem, cujus praeterea in tota fabula verbum nullum, voluntatis divinae interpretem poeta fecit:

*Ποῦ δὴ τὰ λοιπὰ Λοξίου μαντεύματα
Τὰ πυθόχρηστα, πιστὰ δ' εὐορκώματα;
Ἄπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.*

Apparet ex mentis Orestae quam dedimus descriptione, quam insigni arte insaniam, quae in fine fabulae erumpit, inde ab initio poeta praeparaverit. Animadvertendum etiam, matrem supplicio quamvis dignam a filio obtruncari quum atrox sit facinus, poetam summopere cavisse, ut caussa Orestis justa et sancta videretur³⁾. Sepulcrum patris in conspectu posuit, quo magis spectantes de exigendae vindictae officio monerentur; Chorum talionis jus iterum atque iterum inculcantem fecit; divinum non modo mandatum exposuit, sed terrificas minas, ni

3) Welcker de tril. Aesch. p. 447: »Die leiblichen und bürgerlichen Uebel, die Apollon in den Choephoren dem Orestes androht, wenn er seine Schuldigkeit nicht erfüllte, aus den alten Volks-Satzungen der Blutrache ein merkwürdiges Ueberbleibsel, die Erinnyen aus des Vaters Blut, der unsichtbare Zorn des Vaters, sind um nichts geringer, als was die Erinnyen der Mutter ihm wirklich anthun, und sind darum so gestissentlich ins Grässliche ausgemalt, damit sie nicht verfehlen die wirkliche dargestellte Pein gehörig aufzuwiegen.« — Cfr. Grieben de Aesch. Orestia p. 13.